

*Cur in veneris magis maleficantur viri, quam feminae?*

Quia tale impedimentum fit interdum per obstructionem vasis vel etiam per motum localem reprimendo rigorem membri, quæ potius & facilius in viris contingere possunt, idè plures viri maleficiantur, quam mulieres.

Posset etiam quis dicere, quod ideo, quia plures mulieres superstitiosæ sunt, quam viri, & potius allicere cupiunt viros quam mulieres.

Vel etiam in despectum hoc faciunt mulieris conjunctæ, ut utrobiq; faciant occasionem adulterandi, dum vir alios cognoscere potest, & non propriam, & similiter, uxor etiam alios habeat quærare amatores. part. 1. q. 8.

*Quomodo Diabolus vim generativam impediat?*

Dicendum, quod Diabolus impedit generativam vim non impedimento intrinseco, lædendo organum, sed extrinseco impediendo usum.

Vnde quia est impedimentum artificiale, non naturale, idè potest impedire ad unam, quod non ad alios: Vel tollendo excitationem concupiscentiæ ad illam, & non adversus aliam, & hoc per virtutem propriam vel herbam, vel lapidem, vel per aliquam naturam occultam.

*Quomodo frigiditas natura à maleficio dignoscatur?*

Si quæritur, quomodo potest discerni, quod ex maleficio contigerit? R. Quando virga nullatenus movetur, & nunquam potuit cognoscere, & hoc est signum frigiditatis. Sed quando movetur & erigitur, perficere autem non potest, est

Q

signum